

Infulis Italiae adjacentibus consistentium, secundum verum annum valorem fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum praefatorum, nisi aliter cum Sede, & Camera Apostolica fuerit concordatum. S. R. E. Cardinalibus, qui praeteritis annis, tam prompta, & spontanea liberalitate, praesertim in duorum navigiorum expeditione opulentum subsidium Reipublicae praedictae praestiterunt, ob assiduos, magnosque labores, quos Ecclesiae universali impendunt, & gravissima, quae tuenda dignitatis causa sublinent onera, ac dominio praefatae Reipublicae Venetae, & Militia Sancti Joannis Hierosolymitani ob causas antedictas, & bella, quae pro sua, & Christiani Orbis tutela adversus Turcas praefatos semper gerunt, pro quibus alienis continuo indigent auxiliis, dumtaxat exceptis.

§.5. Ac etiam indicimus, & imponimus sex similes Decimas omnium, & quorumcumque pensionum annuarum super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, emolumentis, & distributionibus supradictis, sive earum loco fructuum, reddituum, proventuum, obventionum, emolumentorum, ac distributionum hujusmodi (statu Veneto, ut praefertur, excepto) in favorem quorumcumque (non tamen Cardinalium praedictorum) reservatarum, & assignatarum, seu transferatarum, aut reservatarum, & assignatarum, vel translatorum, ac reservandarum, & assignandarum, seu transferendarum, aut reservandarum, & assignandarum, vel transferendarum percipiendas, exigendas, & levandas ab omnibus, & quibuscumque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Praelatis, ac caeteris cujuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, militiae, conditionis personis infra scripto decennio durante praefata quocumque jure, & titulo obtinentibus, & obtenturis, ac reservata, & assignata, seu translata habentibus, seu habituris, necnon Oeconomis, Administratoribus perpetuis, & temporalibus, usufructuariis, ac fructus, pensiones, res, & alia hujusmodi jura ex quacumque causa sibi, apostolica auctoritate in toto, vel in parte reservata, seu translata habentibus, & habituris Secularibus, & Regularibus, Ordinum, Congregationum, Militiarum, & Hospitalium (non tamen S. Joannis Hierosolymitani) praefatorum, necnon ab ipsis Ecclesiis, Capitulis, Conventibus, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, Hospitalibus, Militiis, Mensis, Massis, & Locis quocumque privilegio, & exemptione reali, personali, & mixta, antiqua, & immemorabili, pacifica, & continua sussultis.

§.6. Quas omnes Decimas praedictas solvere obligatos, ut praefertur, easdem infra decennium proximum decem equalibus solutionibus, pro prima videlicet intra proximum diem festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli mensis Septembris proxime futuri, & successive pro reliquis novem solutionibus, singulo quoque

Impositio.

Tempus, quo dicta impositio solvenda est.

anno ratam partem intra festum hujusmodi cujuslibet anni immediate usque ad totalem solutionem in Cam. praedicta, & illius Depositario Gen. ad id constituendo omnino volumus persolvisse. Eiusdem vero Depositarii munus erit sedulo curare, ut quicquid pecuniarum ex Decimis colligetur, id diligenter, ac fideliter afferretur de mandato nostro speciali in praefatos usus dumtaxat, nec alias erogandum.

§.7. Quicumque vero Decimas hujusmodi nullo modo, vel non integre, scienter, aut non secundum verum annum valorem fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, & emolumentorum, vel concordiam cum Sede, & Camera praedictis, ut praefertur, incundam, sive in terminis constituendis non exhibuerint, seu in illorum exhibitione malitiam commiserint, vel fraudem, si Ecclesiarum Antistites fuerint, suspendimus a divinis, Capitula vero, Conventus, Congregationes, Societates, & Collegia Ecclesiastico interdictione supponimus, ac singulares personas Antistite, inferiores excommunicationis sententia innodamus.

§.8. Caeterum ad praedictas Decimas consequendas praecipimus etiam omnibus conductoribus, censuariis, & locatoribus proprietatum, fructuum, rerum, & jurium praedictorum etiam hujusmodi pensionibus oneratorum, & utraque Decimas nomine Dominorum, ac pensionariorum ad computum suae quisque locationis, omnibus vero possessoribus, & usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus, aliaque praedicta solvere debentibus, ut ipsi etiam Decimas pensionum hujusmodi nomine pensionariorum Camerae, & Depositario praedictis integre persolvant. Decernentes Decimas, fructuum, reddituum, proventuum, & aliorum jurium praedictorum secundum verum valorem annum, vel saltem juxta taxam, de qua cum Venerabili Fratre nostro Antonio Episcopo Tusculanensi Cardinali Antonio Barberino nuncupato S. R. E. Camerario, & dilecto filio nostro, & Camerae praedictae Thesaurario generali (quibus etiam Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & aliorum praedictorum, fructus haftenus non taxatos taxandi, & taxam in libris Camerae Apostolicae describi faciendi, necnon taxas antiquas, si opus fuerit, juxta verum fructuum valorem, potestatem, & auctoritatem plenarie concedimus, & impertimur) ut praefertur, concordaverint, alias vero pensionum Decimas ad rationem decem pro centenario praestari debere, & secundum ea praedictos omnes in solidum cogendos esse, ipsarumque Decimarum Procuratores a quibus libuerit integre exigendi, optionem, facultatemque habere, neque ulla immunitates, & exemptiones etiam ex causa resignationis, cessionis juris, concordiae, conventionis, aut quacumque alia gravi, & onerosa occasione, quocumque modo, & sub quibuscumque verborum expressionibus, etiam a Decimis, seu quibusvis aliis impositi-

Contravenientium poena.

Clause.

bus, etiam pro expeditione, tam offensiva, quam defensiva contra Turcas, & alios Infideles, & Haereticos, seu ex alia quavis, quantumvis legitima, & rationabili, ac necessaria, & de necessitate exprimenda causa, etiam in favorem Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, seu aliorum quorumcumque Principum, ac pro eorum, & Sedis Apostolicae necessitatibus, seu alias canonice, vel de facto impositis, & pro tempore imponendis, etiam per Nos concessas, & interim concedendas, integram solutionem hujusmodi minuere, vel impedire, neque possessores, usufructuarios, aut alios pensiones, seu fructus hujusmodi solvere debentes, etiam ipsi juri, & actioni petendae, vel detrahendae, aut retinendae portionis, & ratae partis pensionarios contingentis iurejurando renunciarint, atque ex forma dictae Camerae amplissima caveat modo aliquo obligari, neque ad id pro dicto tempore constringi possit, sed pensionarios, & fructuum hujusmodi reservatarios ad Decimarum praedictarum, onus subeundum omnino teneri: Omnes vero confessiones, ac quietantias receptionis Decimarum a Procuratoribus, & Ministris Camerae praedictae, tam conductoribus, censuariis, & locatoribus nomine suorum principalium, quam etiam ipsis, necnon possessoribus, usufructuariis, & aliis pensiones, seu fructus solvere debentibus, nomine pensionariorum faciendas perinde valere, atque in iudicio, & extra illud ubique locorum fidem facere, ac si ipsismet principalibus, & pensionariis praesentibus, & solentibus factae, & exhibita fuissent.

§.9. Conductores autem, qui pretium locationis dominis legitime anticipaverint, locationem suam hujusmodi, quam ad hoc prorogamus usque ad integram satisfactionem, ut prius etiam adveniente successore continuare debere: Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Nuncios in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate ubique iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.10. Ut autem omnia praedicta, sicut causa urgens postulat, diligenter, & fideliter executioni demandentur, Antonium Cardinalem, & Episcopum, ac Camerarium, & Thesaurarium praedictos in solidum quorum integritas, fides, & atque experientia jam pridem Nobis perspecta est, & nota devotio, generales omnium Decimarum praedictarum Collectores in Italia, & Insulis illi adjacentibus hujusmodi, cum omnibus, & quibuscumque privilegiis, jurisdictionibus, ac juribus, quae omnes alii antehac hujusmodi Collectores habuerunt, auctoritate praedicta, tenore praesentium, constituimus, & deputamus, eisque plenam, liberam, & absolutam facultatem, & aucto-

Collectores decimarum decernit.

ritatem tribuimus, omnes ipsas Decimas Camerae praedictae nomine procurandi praedictos omnes, tam conjunctim, quam divisim ad illarum integram solutionem, ut praedictum est, faciendam, etiam per editum locis publicis assignandum monendi, & requirendi, non parentes, fraudantes, & caeteros contumaces in censuras, & poenas praedictas incidisse servata forma Concilii Tridentini declarandi, proprietates, res, fructus, & alia bona ipsorum etiam manu Regia apprehendendi, & usque ad condignam satisfactionem retinendi, contraditores, perturbatores, & rebelles quoscumque, eiusque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte quovis quaesito colore praestantes, cujuscumque dignitatis, gradus, & ordinis fuerint, praedictis, aliisque censuris, & poenis ecclesiasticis, necnon pecuniariis, caeterisque juris, & facti remediis compellendi, illisque etiam iteratis vicibus aggravandi, dignitatibus, beneficiis, & officiis omnibus privandi, & amovendi, ad futura inhabiles faciendi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachii secularis quandocumque opus fuerit invocandi, ad sanitatem vero reversionis, qui debite satisfecerint, ab omnibus censuris, & poenis supradictis in forma Ecclesiae consueta absolvendi, super irregularitate forsitan incurfa, dummodo tamen in contemptum clavium non celebraverint, dispensandi, & ad pristinum statum omnino restituendi.

§.11. Praeterea Collectores, & Subcollectores viros utique providos, ac fideles, & facultatibus locupletes, & solertes in omnibus Civitatibus, Terris, & Provinciis Italiae, & Insularum illi adjacentium hujusmodi, quotquot viderint expedire cum simili, vel limitata, non tamen absolviendi potestate constituendi, eumque, vel eos eorum arbitrio revocandi, negligentibus, & morosos removendi, ac alium, seu alios subrogandi quotiescumque eis videbitur, ac ab eis, eorumque haeredibus, & Successoribus administrationis rationes exigendi, in delinquentibus, & suspectos per se, vel alium seu alios etiam simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicii inquirendi, & meritis poenis puniendi, modos, & formas in praedictis servandos praescribendi, dubia quaecumque in praemissis forsitan oritura declarandi, ac prorsus omnia, & quaecumque circa ea necessaria, & opportuna faciendi, statuendi, & exequendi, etiam si talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale, quam praesentibus est expressum, ea tamen conditione adjecta, quod Collectores, & Subcollectores deputandi, seu substituendi hujusmodi per deputationem, seu substitutionem de eorum personis, ut praefertur, faciendam nullo modo censeantur exempti a solutione sex Decimarum praedictarum, quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtenturam solvere debebunt.

§.12. Non obstantibus pie mem. praesertim Pauli III. ac Gregorii XIII. quibus in-

Collectores & decimarum solutione non absolvit.

Contraria derogat.

ter alia cavetur, quod Clerici Regulares Societatis Jesu a solutione Decimarum hujusmodi exempti esse debeant, ac Pii V. duodecim Congregationibus, præfatis ex titulo oneroso parem exemptionem concedentis, & Bonifacii VIII. Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, & aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Militiarum, & Locorum prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, necnon quibusvis privilegiis, indultis, exemptionibus, etiam in corpore juris clausis, immunitatibus, Literis Apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Militiis, Monasteriis, Conventibus, Regularibus locis, Capitulis, dignitatibus, aliisque quibusvis personis supradictis, tam Secularibus, quam Regularibus generaliter, vel specialiter sub quacumque forma, & verborum expressione ab eadem Sede etiam ex causa concordie, aut remunerationis laborum, vel titulo oneroso, aut alias ex qualibet alia causa, etiam hinc non expressa, & necessario exprimenda concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie latissime, & plenissime, ac specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 12. Quodque si Prælati, & personis prædictis, eorumque Ecclesiis, & Locis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim a præfata sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, necnon personis, earumque nominibus, & cognominibus, Ecclesiis, Monasteriis, & Ordinibus, ac Locis hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, in genere, vel in specie, quancumque concessis, confirmatis, & innovatis, etiam solutionem Decimarum alias, quam secundum antiquam taxam, & nisi in universali Decimarum per Orbem impositione fieri prohibentibus, necnon promissionibus, applicationibus, donationibus, obligationibus, Juramentis, renunciationibus, vinculis, & cautelis in assignatione prædictarum pensionum factis, quibus per impositionem Decimarum hujusmodi neminem teneri, neque eas, quoad præmissa contra quecumque locum habere similiter declaramus; aliisque indultis, &

Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus, cujuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis: quæ omnia contra præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari; necnon aliis hujusmodi impositionibus, & concessionibus ad tempus nondum elapsum, si quæ sint, factis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 14. Insuper in percipiendis Decimis prædictis Constitutionem recol. mem. Clementis Papæ V. similiter Prædecessoris nostri in Concilio Viennensi editam, quod Decimæ ad monetam currentem communiter levari, nec calices, libri, cæteraque Ecclesiarum ornamenta divino cultui dicata ex causa pignoris capi, percipi, vel distrahi, aut alias quomodolibet occupari debeant, ubique volumus observari. Quin etiam præcipimus, ne quisquam etiam plura quantumque valoris beneficia Ecclesiastica, seu plures pensiones, aut fructus, seu talia mixtim obtinens pro litera, & sigillo quietantiæ universali, si illam habere voluerit, ultra unum Caroleum confidentem quatenus triginta septem monetæ Romanæ, solvere teneatur, nec ad aliud onus etiam prætextu cambi uspiam compellatur.

§. 15. Cæterum volentes illos, quos Dei timor a malo non revocat, saltem formidine poenæ, & publica disciplina compefcere, omnes, & singulos cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, etiam si pontificali dignitate potiantur, qui de hujusmodi exigendis decimis aliquid usurpare, seu subtrahere, aut sibi ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, seu pensionum per eos obtentorum, ut præfertur, retinere, aut in illas exigendo, colligendo, vel conservando fraudem, vel deceptionem, aliquam committere malitiose præsumpserint interdicimus a divinis, ac majoris excommunicationis, & etiam privationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum quæ obtinent, & pensionum, quas percipiunt, necnon inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda sententias, censuras, & poenas incurrere volumus ipso facto, itaut ab eadem excommunicatione ab alio, quam Romano Pontifice, aut in mortis articulo absolutionis beneficium nequeant obtinere.

§. 16. Quia vero difficile nimis esset præfatas literas ad singula quæque loca, & quocumque illis opus erit perferre, volumus, ut illarum exemplis etiam impressis & Notarii publici manu, ac Antonii Episcopi, & Cardinalis, ac Camerarii præfati, aut Thesaurarii, seu alterius ab eisdem deputati Collectoris, seu Prælati Ecclesiarum, ejusve Curie sigillo obsignatis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensa.

Clem. V. constitutione servata.

Transumptum fidei.

ostensa. Ut autem præfentes ad eorum notitiam deducantur, eas valvis Ecclesiæ Sancti Joannis Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ affigi, seu appendi faciemus, quæ se suo quasi onoro præconio, & patulo iudicio publicabunt, ut ii quos præmissa contingunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut ea ignoraverint, nullam possint excusationem prætere, seu ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, quoad ipsos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam indictionum, & impositionum, suspensionis, suppositionis, inodationis, decreti, concessionis, impartitionis, prorogationis, constitutionis, deputacionis, tributionis, declarationis, voluntatis, & præcepti nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem an. Incarnationis Dom. 1661. 9. Kal. Martii, Pontificatus nostri Anno VI.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

- Ego Franciscus Episcopus Portuensis Card. Barberinus S. R. E. Vice-Canc.
Ego Bernardinus Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada.
Ego Julius Episcopus Sabinensis Cardinalis Sacchetti.
Ego Martius Episcopus Albanensis Cardinalis Ginetti.
Ego Hieronymus tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalis Columna.
Ego Joannes Baptista tit. S. Mariæ Trastiberim Card. Pallottus.
Ego Uldericus tit. S. Petri ad Vincula Card. Carpineus.
Ego M. Antonius tit. S. Mariæ de Pace Card. Franciottus.
Ego Stephanus tit. S. Laurentii in pane, & perna Card. Duratius.
Ego Fr. Vincentius Maculanus tituli S. Clementis Cardinalis S. Clementis.
Ego Hieronymus tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio Card. Grimaldus.
Ego Angelus tit. SS. Quirici, & Julite Cardinalis Georius.
Ego Nicolaus tit. S. Mariæ Angelorum Card. Ludovici Major Poenitent.
Ego Feder. tit. S. Anastasiæ Card. Sfortia.

- Ego Bened. tit. S. Onofrii Card. Odesc.
Ego Camillus tit. S. Petri in Monte Aureo Card. Altallius.
Ego Aloy. tit. S. Alexii Card. Homodeus.
Ego Jacobus tit. S. Mariæ Transpontinae Cardinalis Corradus.
Ego Laurentius tituli S. Chirifogoni Cardinalis Imperialis.
Ego Gibertus tit. S. Joannis, & Pauli Card. Borromeus.
Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Coelio Cardinalis Sancta Crucius.
Ego Baccius tituli SS. Nerei, & Achillei Cardinalis Aldobrandinus.
Ego Joannes Baptista Spada tituli Sancti Marcelli Card. S. Susannæ.
Ego Franciscus tituli Sanctæ Mariæ in Via Cardinalis Albitius.
Ego Octavius tituli Sanctæ Cæciliæ Cardinalis de Aquaviva.
Ego Flavius tituli Sanctæ Mariæ de Populo Cardinalis Chiusi.

- Ego Julius tituli Sancti Sixti Cardinalis Rospigiosius.
Ego Nicolaus tituli Sancti Eusebii Cardinalis a Balneo.
Ego Franciscus tituli Sancti Joannis ante Portam Latinam Card. Paulutius.
Ego Sfortia tituli Sancti Salvatoris in Lauro Cardinalis Pallavicinus.
Ego Virginius Sanctæ Mariæ in Via-Lata Diaconus Cardinalis Ursinus.
Ego Rainaldus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Card. Etenis.
Ego Paulus Emilius Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Rondininus.
Ego Laurentius Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis Raggius.
Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Picium Diaconus Card. Barberinus.
Ego Carolus Sanctæ Mariæ in Domnica Diaconus Cardinalis Pius.
Ego Decius Sancti Hadriani Diaconus Cardinalis Azzolinus.
Ego Franciscus Maria SS. Viti, & Modesti Diaconus Cardinalis Mancinus.

Decla

Ex Regest. in
Secrer. Brno.

Declaratio quod Abbates, Priores, Guardiani, & alii Superiores parvorum Conventuum non habentium præscriptum numerum Religiosorum ad Synodum Diocesanam accedere teneantur, si ad eam vocentur ab Episcopo uti Sedis Apostolicæ Delegato.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum præfatum confirmatur.

§.1. CUM (sicut accepimus) posito Decreto felic. recor. Innocentii Papæ X. Prædecessoris nostri incipien. *Ur in parvis* &c. die 10. Februarii 1654. edito, quo parvi Conventus non habentes præscriptum numerum Religiosorum visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegati plene in omnibus subiciuntur, dubitetur, an Abbates, Priores, Guardiani, & alii prædictorum Conventuum Superiores ab Episcopo vocati ad Diocesanam Synodum accedere teneantur? Nos ejusmodi dubium tollere cupientes, prædictos Abbates, Priores, Guardianos, & alios parvorum Conventuum hujusmodi Superiores ad Synodum Diocesanam accedere teneri, si ad eam ab Episcopo, uti Sedis Apostolicæ delegato, vocentur auctoritate apostolica tenore præsentium declaramus. Et ita ab omnibus, ad quos pertinet, servari præcipimus.

Decretum irritant.

§.2. Decernentes eandem præsentem Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, & Institutuum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 30. Maii 1661. An. VI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 30. Maii 1661. Pontificatus nostri Anno VI.

Cassatio electionis Margarithi Guanguelin. in Rectorem Monasterium Carmelitanarum Excalceatarum Regni Franciæ, cum alterius Rectoris deputatione, aliisque Ordinationibus.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. CUM (sicut accepimus) defuncto nuper Jacobo Carton., dum vixit, uno ex tribus Rectoribus, & Administratoribus Monasterium Monialium Carmelitanarum excalceatarum in Regno Franciæ consistentium, dilecti filii Carolus de Gamache, & Martinus Grandiu superstites eorundem Monasterium Rectores, & Administratores dilectum pariter filium Margarithum Guanguelin. Presbyterum in tertium Rectorem, & Administratorem Monasterium hujusmodi loco prædicti Jacobi defuncti elegerint, & occasione absentiae a Civitate Parisien. Venerabilis Fratris Cœlii Archiepiscopi Casareæ nostri, & Apostolicæ Sedis apud Charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum Nuncii electionem hujusmodi a quodam Vicario Venerabilis Fratris Archiepiscopi Parisien. in spiritualibus generali confirmari curaverunt, seu idem Margarithus curaverit; ipseque Margarithus sine ejusdem Cœlii Archiepiscopi Nuncii consensu minus tertii Rectoris, & Administratoris dictorum Monasterium assumpsit: Nos qui eandem Moniales uti peculiares nostras, & hujus Sanctæ Sedis filias in visceribus gerimus paternæ charitatis, pastoralis sollicitudine, & providentia præcavere cupientes, ne quæ præmissis, seu illorum occasione navatur materia contentionum, unde ipsarum Monialium religiosa tranquillitas perturbetur; aliisque justis, & rationalibus ex causis Nobis notis adducti, motu proprio, ac ex certa scientia, & maturâ deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, electionem dicti Margarithi in tertium Rectorem, & Administratorem præfatorum Monasterium a memoratis Carolo de Gamache, & Martino Grandiu, necnon ejusdem electionis confirmationem a præfato Vicario generali, sicut præmittitur, respective factas, cum inde sequentis quibuscumque tenore præsentium cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac cassas, irritas, & nullas, viribusque, & effectu vacuum esse, & perpetuo fore decernimus, & declaramus. Districte inhibentes præfato Cœlio Archiepiscopo Nuncio ne dicti Margarithi electionem hujusmodi confirmet, ullamve desuper consensum præstet, omnibus vero, & singulis Monialibus prædictis, earumque Priorissis, & Superiorissis quibuscumque, ne ipsum Margarithum in earum

Procurium.

Decreta confirmat.

Re.

In casu contraventionis excommunicatione puniatur.

Rectorem, & Administratorem, seu Superiorem ullatenus admittant, seu recognoscant, ullamve ei tanquam tale obedientiam, vel reverentiam exhibeant, ipsi autem Margaritho sub excommunicationis latæ sententiæ poena per eum in casum contraventionis ipso facto incurrenda apostolica auctoritate præcipientes, & prohibentes, ne in administratione, regimine, & gubernio præfatorum Monasterium, aut alicujus illorum sese immiscere, seu ingerere, aut uti Rectorem, & Administratorem Monasterium hujusmodi, seu alicujus eorum publice, vel privatum, tam conjunctim, quam divisim se gerere ullo modo audeat, vel præsumat. Præterea prospero, felicique eorundem Monasterium regimini, & gubernio quantum Nobis ex alto conceditur providere volentes, ac de dilecti filii Renati Almeras Præpositi Generalis Congregationis Presbyterorum secularium Missionis nuncupat. charitate, prudentia, dexteritate, industria, & experientia, ac spiritualium providentia, temporaliumque circumspectione, & Religionis zelo plene in Domino confisi, eundem Renatum in tertium Rectorem Administratorem memoratorum Monasterium Monialium in locum prædicti Jacobi defuncti, cum omnibus, & singulis facultatibus, quæ similibus Rectoribus, & Administratoribus a fel. rec. Clemente Papa VIII. Prædecessore nostro per suas anno Incarnationis Dominicæ 1603. Idibus Novembris super erectione primi in Regno Franciæ prædicto memoratarum Monialium Carmelitanarum excalceatarum Monasterii sub plumbo expeditas literas, quarum tenorem præsentibus pro pleno, & sufficienter expresso haberi volumus, concessæ fuerunt, salva tamen sublequentium Literarum Apostolicarum, & præcipue nostrarum in simili forma Brevis die 2. Octobris 1659., & die 13. Januarii proxime præteriti super controversiis inter Visitatores, ac Rectores, & Administratores eorundem Monasterium vertentibus respective emanatarum in omnibus, & per omnia dispositione, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus constituimus, & deputamus. Ad hæc nullam Monialem, quæ præfatis nostris in forma Brevis literis inobediens sit, vel fuerit, in Priorissam, seu alterius nominis Superiorissam quuscumque ex præfatis Monasteriis eligi, seu assumi, aut prius electam, seu assumptam in ejusmodi Priorissam, seu Superiorissam munere confirmari posse decernimus pariter, ac statuimus, & ordinamus. Ac præmissa omnia, & singula a præfatis Visitatoribus, necnon Rectoribus, & Administratoribus, ac Priorissis, & Superiorissis, & Monialibus quibuscumque Monasterium hujusmodi sub inobediencia, & privationis Officiorum poenis, si ipsi contravenerint absque alia declaratione incurrendis in violabiliter, & inconcusse observari mandamus, & præcipimus.

Clem. VIII. Decretum confirmat.

§.2. Decernentes quoque eandem præsentem Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

sentem literas, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod præfati Carolus, & Martinus, ac Margarithus, alique quilibet etiam speciali, & individua mentione digni, cujuscumque status, gradus, ordinis, præminentia, & dignitatis fuerint, in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non confenserint, aut ad ea vocati, citati, & auditi, sive cause, propter quas ipsæ præsentem emanarint adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juxta, pia, legitima, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite atiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, & substantiali, ac specificam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, limitari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illa a peritioris oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concessio nempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præsentem literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, & alios quoscumque quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritans.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac quantumvis opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsitio, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus, & singulis illis, quæ in præfatis nostris literis volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§.4. Volumus autem, ut eorundem præsentium literarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem, prorsus fides ubique locorum, & gentium tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Aprilis 1661. Pontificatus nostri Anno VI.

Dat. die 11. Apr. 1661. An. VI.

T

Ea.

CCCCXXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brevis

Facultas Magno Magistro, & Consilio Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani concedendi Prioribus Lingua Franciae ejusdem Hospitalis licentiam permutandi jurisdictiones.

Dilectis filiis Magno Magistro, & Consilio Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecti filii salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Procuratores Linguae Franciae istius Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, quod in Praeceptorio, seu Commenda de Chenus nuncupata Prioratus Franciae dicti Hospitalis reperitur quoddam Feudum la Battaglia nuncupatum, quod si eidem Praeceptorio, seu Commenda cum suis jurisdictionibus, censibus, & aliis juribus uniretur, id in evidentissimam Praeceptoriam, seu Commendam hujusmodi utilitatem cederet, praecipue ratione jurisdictionis, quam Possessores dicti Feudi in multis locis ipsius Praeceptoriae, seu Commendae exercent.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, previa informatione per Commissarios a Conventu Hospitalis praedicti deputatos capta, habitaque deliberatione Capituli Provincialis dicti Prioratus, exponentes ipsi cum memoratis possessoribus dicti Feudi de facienda jurisdictionum, censuum, aliorumque jurium praedictorum cum aliis jurisdictionibus, censibus, & juribus ad membrum de Cliei nuncupatum a praefato Prioratu Franciae dependens spectantibus, modicamque eidem Prioratui utilitatem reddentibus permutacione, reservato tamen nostro, & hujus Sanctae Sedis, vestroque beneplacito, convenerint, ita scilicet, ut jurisdictiones, census, & alia jura dicti Feudi praefata Praeceptoriae, seu Commendae, illiusque Commendatario, seu Praeceptorio assignentur, cum onere tamen praestandi Priori pro tempore existenti dicti Prioratus Franciae pensionem annuam in recompensationem jurisdictionum, censuum, & aliorum jurium dicti membri possessoribus Feudi praefati vigore permutacionis hujusmodi assignandorum: Nobis propterea dicti Exponentes asserentes praemissa si fiant, in evidentem Linguae praefatae cessura esse utilitatem, humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si

A censuris absolvis,

quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis si tamen, & postquam vocatis, qui fuerint evocandi, ac praemissis omnibus, & singulis illorum circumstantiis universis prius coram vobis specificatis, de permutacione hujusmodi, quodque illa, si fiat, in evidentem Linguae praefatae cessura utilitatem vobis conjunctim procedentibus legitime confiterit, super quo conscientiam vestram omeramus, Exponentibus praefatis, ut eandem permutacionem sicut in memorato Capitulo Provinciali Prioratus Franciae resoluta, & stabilita fuit, facere, aliosque actus, & Instrumenta quaecumque desuper necessaria, seu opportuna celebrare, & exequi libere, & licite possint, & valeant, licentiam auctoritate nostra apostolica concedendi plenam, & amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, & impertimur.

Facultatem concedit, ut in tubi.

§.3. Non obstantibus fel. rec. Pauli II, & aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictorum Hospitalis, Linguae, & Prioratus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, usibus, & naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indulgentis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

§.4. Volumus autem, ut si permutacio hujusmodi vigore praesentium fiat, jurisdictiones, census, & alia jura secundodicta pro quacumque evictione jurisdictionum, censuum, & aliorum jurium primodictorum in eventum quo hac quovis modo evinci contingat, semper obligata, & in specie hypothecata remaneant.

Clausula

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die 22. Aprilis 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 22. Apr. 1661. An. VII.

CCCCXXIX.

Concessio Privilegiorum praedationis, & non appellacionis suspensiva usque ad Summam 250. Monetae Universitatis, & Hominiib. Mercatorum Fundacium de Urbe pro suarum pretio Mercium, seu rerum Fundacium, quae ad usum Indumentorum inserviunt dumtaxat juxta formam Brevis Urbani VIII. Mercatoribus de Fundaco concessi, uti illis fruebantur, antequam coram Universitate

Ex Regest. in Secret. Brevis

ab

ab Universitate Mercatorum de Fundaco separaretur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Universitas, & Consules Mercatorum Fundacium Ecclesiae Sanctorum Sebastiani, & Valentini hujus nostrae Almae Urbis, quod ipsi eorum artis Mercies, & res ad indumentorum usum variis, & diversis personis pro ipsis Emptoribus, eorumque Uxoribus, Filiis, & Familiis, habita fide de pretio, ut plurimum vendere sunt soliti, sed quando pro satisfactione instant, vel per anteriores, seu posteriores Creditores excluduntur, vel per dilatorias exceptiones, aut appellaciones tam diu defatigantur, ut non sine ingenti eorum jactura creditum cogantur amittere.

Motiva.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat alias per felic. recordat. Urbanum Papam VIII. Praedecessorem nostrum Universitati, & Hominiibus Mercatoribus de Fundaco, & Mercantia nuncupat. dictae Urbis, eorumque haeredibus, & Successoribus inter caetera fuerit indultum, quod pro Mercium, ac rerum ad ipsorum artem spectantium pretio post Pistores, & Aromatarios ejusdem Urbis omnibus, & singulis aliis quibusvis defuncti, licet anterioribus, aut posterioribus Creditoribus etiam quaslibet obligationes Camerales, & publica Instrumenta etiam juramento, & quavis hypotheca vallata, etiam causa Dotis, & quaslibet alias clausulas, seu cautelas in se continentes habentibus usque ad Summam quinquaginta scutorum Monetae Romanae tantum praferantur, & praeferrri debeant, dummodo quoad Dotes probetur versio in utilitatem Viri, & Uxoribus, ac filiorum in communione viventium; Praeterea quod in causis eorumdem Mercatorum non esset locus appellacioni suspensivae pro ea pecuniarum dumtaxat summa, pro qua in causis Aromatiorum, & Pistorum praedictorum vigore Indultorum Apostolicorum, eis concessorum contra eosdem non datur pariter appellatio suspensiva, prout in quibusdam dicti Urbani Praedecessoris literis die 17. Januarii 1643. desuper in simili forma Brevis expeditis uberius continetur. Cumque his Mercatorum Fundaci privilegiis memoratorum Exponentium Universitas, ejusque homines coram quocumque Judice fuerint usi, durante eorum cum praedictis Fundaci Mercatoribus unione, quae nuper ad dirimendas varias lites, & distentiones occasione unionis hujusmodi exortas fuit dissoluta, & divisa perinde ac si nunquam unita fuisset, quam unionis dissolutionem, & divisionem Nos per nostras die 22. Decemb. proxime praeteriti etiam in forma Brevis expeditas Literas approbavimus. Idcirco ne dissolutione, & resolutione unionis hujusmodi attentis dubitari contingat dictos Exponentes praedictis privilegiis, & indulgentis uti non posse, Nobis ipsi si Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur praedictos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Universitati Exponentium, ac ejus hominibus pro suarum pretio Mercium, seu rerum Fundacium, quae ad indumentorum usum inserviunt dumtaxat, ac modo, & forma, & pro iisdem Mercatoribus Fundacium uti fruebantur ante praefatam unionis dissolutionem, & divisionem, & non alias praedationis, & non appellacionis privilegia ad primodictam summam scutorum quinquaginta monetae juxta formam praedictarum Urbani Praedecessoris in forma Brevis Literarum, quarum tenorem praesentibus pro plene, & de verbo ad verbum expresso, & inserto haberi volumus auctoritate Apostolica eorumdem tenore praesentium concedimus, & impertimur.

Concedit pro ut in sub.

§.3. Decernentes ipsas praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici, & Curiae Camerae Apostolicae Generalem Auditores judicari, & definiti debeant, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.4. Non obstantibus praemissis, necnon omnibus, & singulis illis, quae in praedictis Urbani Praedecessoris literis concessa sunt non obstantibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Contrariis derogat.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Dicecesis sub Annulo Piscatoris die 6. Maii 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 6. Maii 1661. An. VII.

CCCCX.

Commissio executionis quorundam decretorum pro Provincia SS. Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanae Archiepiscopis Tolosan., & Burdegalen.

Ex Regest. in Secret. Brevis

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, & Decan.

Expositio

T 2

Definitores Provinciae Sanctorum Ludovici, & Elzearii Tertii Ordinis Sancti Francisci Congregationis Gallicanae, quod alias videlicet anno 1659. per dilectum filium Leonem de Peguillam fratrem, & assertum Procuratorem fratrum Aquitanorum Ordinis, & Provinciae huiusmodi exposito, quod Fratres Lugdunen. eorundem Ordinis, & Provinciae, & praecipue contra modernum Ministrum Provinciale diversam habebant gravamina, propter quae contra praedictos via juris volebant agere, & causam habere. Nos ad supplicationem dicti Leonis causam, & causas, quam, & quas super praemissis contra dictos adversarios habere, & movere volebat, cum omnibus suis dependen., inciden., emergen., annexis, & connexis, totoque negotio principali Ven. Fratribus Episcopis Agennen., Lectoren., & Montis Albanen., seu alteri ex ipsis commissimus, sed cum postea rescivisset, quod Congregatio Ven. Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita praetense causae, & causatum, & praecipue negotii principalis praefati cognitionem suscepisse, totumque negotium partibus informantibus dilecto filio nostro Joanne Baptista tituli Sancti Petri ad Vincula eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Pallotto nuncupato referente, pluries terminasset, dictam commissionem, tacitis praemissis a Signatura nostra Iustitiae subdole extortam, revocavimus per nostras literas 14. Kal. Decembris 1659. expeditas, mandando Commissario quantum suas inhibitiones moderaretur, ac si dictae commissionis literae non emanassent. His tamen non obstantibus dictus Commissarius nempe Episcopus Agennen., seu ejus Officialis, etiam si dicta revocatio debite ipsi, seu ipsis significata fuerit, a suis actibus, & processibus noluit desistere, quinimo dictam revocationem suae praefatae commissionis sententialiter declaravit subreptitiam, dictum Ministrum Provinciale, Definitoresque jam secundo citavit, minaturque censuras, nisi compareant, in dilectum pariter filium Henricum fratrem dictae Congregationis Gallicanae quasi contumacem sententiam tulit, & alia multa fecit in grave damnum, & perturbationem totius dictae Provinciae, ita ut etiam de ejus mandato Superiores a Definitorio, & Capitulo Provinciali pro Conventibus Aquitanis designati a duobus circiter annis a suis Conventibus exulare cogantur, & dicti Conventus cum Fratribus in ipsis dependentibus a jurisdictione Ministri Provincialis, & aliorum Superiorum seditiose eximantur; Imo etiam Ministro Provinciali moderno munere suo fungenti in quibusdam ex iis Conventibus novissime negatus fuerit ingressus contra multa praefatae Congregationis Cardinalium Decreta, & nostras in simili forma Brevis literas eorundem Decretorum confirmatorias sub diebus 11. Februarii 1659., & xiv. Kal. De-

cembris ejusdem anni, ac 9. Januarii 1660. respectively emanata, seu emanatas. Quare ipsi Exponentes, ut malis, & scandalis huiusmodi remedium adhibeatur, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apost. dignaremur.

§.2. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium consilio, attentis narratis, inhaerendo Decreto emanato sub die 17. Septembris proxime elapsi, ut tandem huiusmodi negotio jam toties agitato finis imponatur, & memoratae Provinciae tranquillitas, & pax restituatur, executionem Decretorum Congregationis eorundem Cardinalium super negotiis dictae Provinciae contra praefatos Fratres Aquitanos nuper emanatorum necnon etiam nostrarum in forma Brevis literarum sub diebus 11. Febru. 1659. & xiv. Kal. Decembris ejusdem anni, & 9. Januarii 1660. pro eorum confirmatione desuper edit, denuo auctoritate Apostolica tenore praesentium committimus, & injungimus Ven. Fratribus Archiepiscopis Tolosano, & Burdegalen., seu alteri ex ipsis, vel iis absentibus, aut impeditis, eorum Officialibus, & Vicariis generalibus, qui juxta illorum formam, & tenores fieri, exequi, & adimpleri mandent, & faciant; Contradictores quoscumque, ac Rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia juris, & facti remedia omni appellatione postposita compescendo.

§.3. Non obstantibus literis praenarratae Commissionis emanat. sub die 12. Augusti 1659. stante illius subsequente revocatione sub die 18. Novembris ejusdem anni, necnon memorati Commissarii inhibitionibus, dispositionibus, & quibuslibet ordinationibus ejus vigore relaxatis, & peractis, omnibusque aliis praemissis, ac se: rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad Judicium non trahatur, caeterisque contrariis quibuscumque.
Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diebus sub Annulo Pisc. die 14. Maji 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Confirmat decretum.

Contraria sol. lit.

Dat. die 14. Maii 1661. An. VII.

Facul.

CCC XLI.

Ex Regest. in Secret. Arev.

Facultas Congregationi Generali Societatis Jesu eligendi Vicarium perpetuum, cum futura successione in Generalatu.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. CUM, sicut accepimus, dilectus filius Gosvvinus Nickel Praepositus Generalis Societatis Jesu sentiens, se ob senium gravitatem, & corporis impedimenta non posse amplius tot, ac tantis officii sui laboribus parem esse, & eo animi vigore, quo optaret, Societatis gubernationem administrare, Congregationi generali ejusdem Societatis proposuit, ut Vicarium sibi adjungeret Societati aptum, & convenientem, cum jure futurae successio- nis, ipsa vero Congregatio, & si unice optaret, eidem Gosvvinio Praeposito Generali bene de universa Societate merito, integritatem virum, & plenum regimen, ac diuturnum, tamen cum tam provectae aetatis infirmitas superari non possit, grato animo propositionem factam acceptavit, & re per biduum Domino diligenter commendata, ac discussa, tandem secretis, itaque concordibus suffragiis decreverint, eligendum esse Vicarium perpetuum, cum jure successio- nis, & cum universali, ac libero exercitio potestatis: Idque, ut necessitati, rursum, ac forte brevi, convocandae tot expensis, ac periculis Congregationis generalis, quantum humana consilia ferunt, occurratur. Hinc est quod Nos pro commissa Nobis divinitus pastoralis sollicitudine Societatis praefatae, quae copiosa virorum pietate, doctrinaque insignium sobole instructa, & ornata, urberes in Ecclesia Dei fructus ad animarum salutem ubique terrarum, divina gratia largiente, in dies profert, utilitati quantum Nobis ex alto conceditur, providere, ac memoratorum Gosvvinii Praepositi Generalis, & Congregationis generalis votis paterna benignitate annuere cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestate plenitudine eidem Congregationi generali Vicarium perpetuum cum futura ad ejus favorem in Officio Praepositi Generalis dictae Societatis quodcumque illud per obitum, cessionem, renunciationem, vel dimissionem memorati Gosvvinii Praepositi Generalis, seu alias quomodolibet ex illius persona vacare contigerit, successione, ac cum universali, & libero exercitio potestatis, servatis alias servan-

Facultatem concedit, ut in rubr.

dis, eligendi plenam, & amplam facultatem tenore praesentium tribuimus, & impertimur.

§.2. Decernentes easdem praesentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno, & substantiali, specialemque mentionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, aut etiam impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine, paribus emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullatenus posse; Sed ipsas praesentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarias, & integros effectus fortiri, & obtinere; Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & alios quoslibet, quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulas appoint.

Contraria sol. lit.

§.3. Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariae Apostolicae Regulae de non tollendo jure quaesito, aliisque Apostolicis, ac in Conciliis, etiam universalibus, editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus; necnon dictae Societatis, & aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Societati, ejusque Praeposito Generali, & aliis Superioribus, & personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo